

vetitum est, etiam illa esse prohibita, quæ ad illud ordinantur; cum ergo suspensus sit prohibitus a fructuum perceptione, consequenter est separatus ab administratione temporali beneficii, quæ ad fructuum perceptionem ordinatur. Atque ita sentiunt Doctores cum Innocentio et Abbate, in cap. Ex tua, de Cleric. non resid., et in cap. Veritatis, de Dolo et contumacia, et in cap. Pastoralis, § Verum, de Appel., et in cap. Cum bonæ, de Ætat. et qualit., et in c. Apostolicæ, de Excep., ubi Glossa penult., et Felinus, in c. Intelleximus, de Judiciis, num. 40. Quod adeo verum esse sentiunt, ut talem administrationem a suspenso usurpatam invalidam esse, seu contractus invalidos efficere dicant in iis, quæ præjudicium aliquod Ecclesiæ afferre, et bona ejus, aut jura immutare, vel minuere possint, ut alienationem alienius rei Ecclesiæ, vel aliquid hujusmodi. Unde fit, ut qui tali Ecclesiæ debitor est, si hujusmodi beneficiato suspenso illud solvat, non satisfaciatur, sed possit ab illo repeti, quia ei solvit, qui jam tunc non habebat potestatem recipiendi, seu res talis Ecclesiæ administrandi, et sic de aliis. Oportebit tamen, ut talis suspensio manifesta sit, et hodie ob Extravag. *Ad evitanda*, ut sic suspensus nominatim denunciatus sit; nam alioqui nemo tenetur illum vitare; et ideo quilibet poterit Ecclesiastica negotia cum illo transigere, neque propterea culpam poterit; ergo a fortiori valida erunt, quæ ita fiunt, licet ex parte suspensi non sine peccato per se fiant. Atque idem dicendum censeo de permutatione beneficii; nam hæc actio maxime procedit ex domino in ipsum beneficium, et est unus ex præcipuis usibus ejus; et non immerito dici potest fructus beneficii; et ideo qui est simpliciter a beneficio suspensus, ab hoc etiam actu suspensus est; unde idem consequenter dicendum est de donatione beneficii, et omnibus actibus similibus.

30. *An suspensus a beneficio Episcopatus possit beneficia conferre.* — *Quorundam responsio.* — *Improbatur.* — Sed occurrit obiectio; nam sequitur, Episcopum a suo beneficio suspensum non posse beneficia conferre; consequens est falsum, quia conferre beneficia est actus officii et jurisdictionis juxta Glossam in cap. Transmissam, de Elect., in 6; per suspensionem autem a beneficio non suspenditur quis ab officio, et actibus ejus, ut dictum est: ergo. Sequela probatur, quia conferre beneficia censetur inter fructus Epi-

scopatus, ut dixit Glossa ultima, in c. Cum olim, de Major. et obedient. Aliqui respondent, conferre beneficium non esse fructum pretio æstimabilem; suspensionem autem solum privare rebus pretio æstimabilibus. Sed contra, quia etiam permutare beneficium non est aliquid pecunia æstimabile secundum jus Ecclesiasticum, licet natura sua dici possit æstimabile, ut in simili notavit Navarr., in commentario de Usuris, ad c. Si sceneraveris, 44, quest. 3, notab. 9, num. 17; quomodo etiam conferre beneficium dici potest natura sua æstimabile pretio, quamvis jure non sit; ergo quoad hoc æqualis est ratio inter illos actus. Præterea gratis videtur adjecta illa limitatio de fructibus pretio æstimabilibus, cum suspensio a beneficio simpliciter fiat.

31. *Vera responsio.* — Dico ergo improprie dictum esse conferre beneficia pertinere ad fructus Episcopatus; nam revera non ita est, sed pertinet ad officium Episcopatus; est enim quidam actus illius muneris, sicut conferre sacramenta est actus beneficii parochialis. Tamen quia ille actus censetur aliquo modo utilis Episcopo, et redundans in commodum ejus, ideo secundum quamdam vulgarem loquendi rationem dicitur collatio beneficii pertinere ad fructus Episcopatus. Unde est magna differentia inter actum conferendi beneficium ex vi juris, et officii provenientis a superiori beneficio, et inter actum permutandi vel donandi proprium beneficium; nam ille prior non est actus domini, sed muneris; et ideo non est actus beneficii, ut beneficium est, sed ut officium; posterior vero non est actus muneris, sed domini; unde est actus beneficii, ut beneficium est, seu ut est quædam res propria, non vero est actus præbendæ, ut officium in se includit, quod per se notum est; et ideo non est similis ratio de his actibus.

32. *An suspensus a beneficio privetur actu eligendi, qui ratione beneficii ei competit.* — Atque hinc expeditur aliud dubium, quod hic solet excitari de actu eligendi, si conveniat ratione beneficii, an quis illo privetur, eo quod a tali beneficio suspensus sit. Videri enim potest ita esse asserendum; nam si collatio beneficii fructus Episcopatus dicitur, cur non etiam electio dicatur fructus illius beneficii? Ergo concludetur sub prohibitione fructuum. Atque in hanc partem citatur Glossa per textum ibi, in cap. Cum dilectus, de Consuet., et in cap. Cum bonæ, de Ætat. et qualitat.; sed illa jura non loquuntur in

speciali de suspensione a beneficio, sed absolute de suspensio; unde facile possint exponi de suspensio omnino, vel ab officio, vel a jure eligendi. Dicendum ergo est suspensum a beneficio posse nihilominus eligere; quia electio non est fructus beneficii, neque actus ejus, ut beneficium est, sed est actus illius officii spiritualis, cui annexum est beneficium; ac propterea sicut per talem suspensionem non suspenditur officium quoad alios actus, ita nec quoad electionem. Quod non male confirmatur ex cap. Cum in curia, § ult., de Election., ex Concil. Lateranensi sub Alexandro III, part. 4, cap. 3, ubi clerici, qui contra formam ibi præscriptam aliquem eligunt, et a beneficiis suspenduntur, et pro tunc eligendi potestate privantur; ergo signum est privationem eligendi non includi in suspensione a beneficio. Quo argumento utuntur, ad hanc sententiam confirmandam, Glossa in cap. Cupientes, § Cæterum, de Electione, in 6; Abbas, in cap. Cum Vintoniensis, de Electione, num. 40, et in cap. Cum dilectus, de Consuetudine, num. 20.

33. *Obiectio ex cap. Quisquis, de Elect.* — *Solutio.* — Sed objici potest c. Quisquis, de Elect., ex Concilio Lateran. sub Innocentio III, cap. 25, ubi qui electionem quamdam ipso jure irritam præsumperint celebrare, ab officii, et beneficiis penitus per triennium suspenduntur, eligendi tunc potestate privati. Ex quibus verbis, si argumentum factum est efficax, etiam posset inferri in suspensione ab officii non includi suspensionem potestatis eligendi; quod plane falsum est. Illum vero textum, ommissa Glossa ibi, quæ ad rem non loquitur, ego sic intelligendum puto, suspensionem ab officio et beneficio ibi non ipso facto imponi, sed per judicem imponendam decerni, ut patet ex illo verbo, *suspendantur*; ab eligendo autem saltem pro illa vice ipso facto suspenduntur; non enim dixit: *Eligendi potestate privetur*, sed *privati*, scilicet ipso facto; et ideo necessarium fuit hanc pœnam distincte explicare. Quod tamen in Concilio Lateran., sub Alexandro III, non ita est; utraque suspensio tanquam distincta ipso facto imponitur, ut patet; nam eodem verbo, et tenore dicitur: *Noverint se privatos potestate tunc eligendi, et per triennium a beneficiis suspensos.* Igitur in fructibus beneficiorum, quibus suspensio hæc privat, non comprehenduntur actiones propriæ ipsius officii, etiamsi illæ honores potius existimentur, quam onera, et quamvis temporale ali-

quod commodum secundum hominum existimationem secum afferre videantur. Duo vero alia dubia, quæ de fructibus hic attingi possunt, in sectione sequente expediuntur.

SECTIO II.

Quid sit, et quem effectum habeat suspensio quæ a beneficio solum ex parte fit.

1. *Suspensio partialis a beneficio duplex.* — Suppono duobus modis posse suspensionem esse partialem. Primo comparisonem facta ad multitudinem beneficiorum. Secundo per comparisonem ad fructus ejusdem beneficii. Priori modo contingit, quando eadem persona habens plura beneficia, ab uno, vel a quibusdam suspenditur, et non ab aliis, vel quia suspenditur a beneficiis, quæ habet in uno loco, vel Ecclesia; et non ab his, quæ alibi habet, juxta cap. Cupientes, et cap. Si compromissarius, de Electione, in 6, vel quia, licet plura beneficia habeat in una Ecclesia, ab uno, et non ab aliis suspenditur. Et quocumque istorum modorum fiat, habet rationem censuræ simpliciter, et potest dici suspensio major, non comparativa, sed absoluta locutione, ut supra declaratum est. Respectu vero beneficii dicitur suspensio partialis, quæ a parte fructuum, et non ab omnibus privat; ita enim interdum fieri annotavit Glossa in Clementina *Cupientes*, de Pœnis, et sumi potest ex Clementina 2 de Vita et honestate cleric., et ex Clementina 2 de Ætat. et qualit.

2. Et de hoc genere suspensionis aliqui negant esse proprie censuram, imo nec suspensionem simpliciter, sed tantum secundum quid, eo quod sub nulla ratione sit suspensio in totum, sed tantum in parte; reliquæ enim suspensiones partiales quamvis respectu personæ tales sint, tamen respectu Ecclesiæ, seu loci dici possunt totales; vel licet respectu loci sit suspensio partialis, respectu beneficii est totalis; at vero hæc, quam nunc consideramus, mere partialis est; et ideo non videtur esse simpliciter suspensio, sed tantum secundum quid. Verum hoc spectat ad modum loquendi; nam moraliter rem considerando, hæc suspensio potest esse majoris momenti, quam alia, quæ sit totalis; unde non est dubium, quin sit pœna, et interdum valde gravis, et si pro contumacia feratur, non video quid illi desit, ut sit propriissima censura. Non est enim de ratione censuræ, ut sit privatio totalis, nisi respectu sui objecti, ut sic

dicam; quomodo excommunicatio minor est talis privatio respectu usus passivi sacramentorum, quamvis non sit respectu totius usus, seu communicationis; sic ergo illa suspensio omnino privat tali parte, v. gr., dimidia, aut tertia, vel alia simili, vel privat distributionibus, aut primitiis, vel redditibus talium possessionum, vel quid simile. Hæc ergo suspensio vera etiam censura esse potest, et dici simpliciter suspensio, quanquam si pars illa, qua privat, minima sit, non male dicatur suspensio minor, ut in superioribus diximus.

Effectus partialis suspensionis a beneficio exponitur.

3. Atque hinc facile constat resolutio alterius partis de effectu hujus suspensionis; cum enim multiplex sit hæc partialis suspensio, unaquæque illum habet effectum, quem verba ipsa determinantia suspensionem declarant, et non alium. Quia talia verba de se sunt efficacia; et id operantur, quod significant, et non amplius; quia effectus non potest excedere virtutem causæ; et quia limitatio illa, quæ per determinationem fit, est exclusio aliorum effectuum, ut in superioribus est dictum; eadem namque proportione hæc intelligenda sunt, qua cætera declaravimus. Unde, quando suspensio est partialis respectu personæ, vel loci, cum sit totalis respectu beneficii, aut beneficiorum, privat illorum fructibus cum proportione ad totalem, nam respective eodem modo ponderanda sunt verba. Quando vero suspensio omnino est partialis, id est a parte beneficii, tunc designatio partis est exclusio aliarum; tamen respectu talis partis poterit considerari illa suspensio per modum integræ privationis, et ita respectu illius eandem proportionem servat.

4. *Suspensio a beneficiis, quæ quis obtinet, est partialis.* — *Nec per illam prohibetur quis acquirere novum beneficium.* — *Nec illam incurrit qui beneficium actu non habet.* — Quia vero in superioribus diximus suspensionem ab omnibus beneficiis simpliciter latam, atque adeo totalem, prohibere novam beneficii consecutionem, advertendum est, quod, licet aliquis suspendatur ab omnibus beneficiis, si tamen id fiat cum additione hujus particulæ, *Quæ obtinet*, ut in Clement. 2, de Vita et hon. cleric., illam non esse suspensionem totalem, sed partialem, cum suspensio

simpliciter non tantum præsentia, sed etiam futura respiciat; illa vero suspensio per illam particulam, *Quæ obtinet*, ad præsentia determinetur. Unde ex adiectione illius particulæ, quæ in illo textu fit, optime colligitur, quando illa non additur, sed suspensio a beneficiis simpliciter fertur, universalior esse suspensionem. Quo fit, ut per illam suspensionem sic limitatam non prohibeatur quis a susceptione novi beneficii, quandoquidem non est simpliciter suspensus a fructibus Ecclesiasticis, sed a talibus; ergo respectu aliorum nihil prohibet. Fit etiam inde, ut, qui beneficium Ecclesiasticum non habet, illam suspensionem non incurrat, quia solum suspendit a beneficiis, quæ aliquis habet. Et utrumque insinuatur in illa Clementina 2, dum statim additur alia pœna pro illo, qui beneficium Ecclesiasticum non habet, scilicet, quod per sex menses inhabilis ad illud obtinendum reddatur; quæ pœna genus quoddam suspensionis esse censetur; proprius vero dicitur inhabilitas quædam, ut ex supra dictis constat, ex quibus etiam clara sunt omnia, quæ de his effectibus desiderari possunt.

An suspensus a beneficio alendus sit ex fructibus ejus.

5. Duo vero declaranda supersunt, quæ utrique suspensioni a beneficio totali et partiali communia sunt, servata proportione. Primum est, quid agendum sit, si clericus indigeat ad suam sustentationem illis fructibus beneficii, vel eorum parte, quibus per suspensionem privatur, an cogendus sit mendicare, vel illi subveniendum sit. Simile dubium tractavi supra de excommunicatione majori; unde solum addendum est, quando suspensio fertur pro contumacia (in quo cum excommunicatione convenit) eandem esse de utraque rationem. Quia quantumcumque sic suspensus indigeat, illi subveniendum non est de fructibus beneficii; sua enim voluntate, et culpa quasi continue durante, eam patitur necessitatem, qua facile liberari poterit recedendo a contumacia; sic enim absolvetur, et fructibus beneficii frui incipiet. Nec est inconveniens, quod talis clericus cogatur mendicare; non enim cogitur simpliciter, sed ex suppositione suæ pravæ voluntatis; minusque inconveniens illud est, quam quod ex sua iniquitate commodum reportet in vilipendium Ecclesiasticæ obedientiæ et disciplinæ. At vero, quando suspensio fertur in puram

pœnam commisi delicti, tunc propter decetiam ordinis clericalis, et quia jam non est in potestate illius personæ facere, quo illa pœna tollatur, nam quantumcumque respiscat, et Ecclesiæ obediat, sustinebit illam, ideo ex illis fructibus ei commode subveniendum est. Non tamen arbitrio, vel auctoritate propria, sed superioris, nisi suspensio sit tantum ipso jure contracta, et sic occulta, vel alia rationabilis causa occurrat; tunc enim arbitrio prudenti poterit ex suo beneficio ali sufficienter, juxta superius dicta in simili effectu excommunicationis majoris. Et hæc resolutio communis est Panormitani, et aliorum, in cap. Pastoralis, § Verum, de Appellat., et alios retuli citato loco.

6. *Possintne recuperari fructus per suspensionem amissi.* — Aliud dubium est, an qui ob suspensionem hanc fructibus beneficii privatus est, illos aliquando recuperare possit; quod etiam in dicto loco tractavimus, et eodem modo expediendum est. Si ergo sententia et valida, et justa fuerit, fructus per illam ablati recuperari non possunt per se, ac seclusa dispensatione, quia privatio de se est perpetua, nullumque jus ad talia bona relinquit. Quod etiam de suspensione, quæ imponitur, ut recedatur a contumacia, verum est, nam fructus amissi tempore contumaciæ non recuperantur postea propter subsequentem pœnitentiam et absolutionem. Quia illa privatio fuit condigna pœna contumaciæ, et illud comparatur tanquam justa, et pura pœna, quæ privat simpliciter jure perpetuo ad hujusmodi fructus. Alioqui si cum absolutione fructus restituerentur, parum cogeret et puniret talis censura.

7. At vero si contingat in aliquem ferri sententiam suspensionis ipso jure nullam, vel sententiam declaratoriam criminis habentis annexam hanc censuram ipso facto incurramdam, fundatam in falsis testimoniis, et contra facti veritatem, et ob eam privari aliquem fructibus beneficii sui, jus semper retinet ad recuperandos illos fructus, vel per eundem judicem, aut superiorem, si tempore, et modo competenti de nullitate sententiæ, vel clara injustitia constiterit; aut certe, si propter injustam vim, aut defectum probationis ea via non potuerit, occulte poterit ea retinere, vel observare, si occasio se obtulerit id faciendi absque scandalo, vel alterius injuria. Hoc enim, per se loquendo, in omni materia justitiæ licitum est; quanquam in presenti difficultius possit in praxi fieri, eo quod hujusmodi

fructus, si semel auferantur, in pauperes, et alios pios usus expenduntur. Nihilominus quod diximus, de jure verum est; modus autem, vel occasio executionis ad factum pertinet, quod prudentiæ et conscientiæ ejus, qui injustam læsionem passus est, relinquitur. Idemque dicendum censeo quoties per talem suspensionem injustitiam contra commutativam quis passus est, quia jus habet recuperandi fructus, quia injustitia non infert damnum auferendo jus recuperandi illud, si fieri possit. De quo videantur supra dicta de excommunicatione, nam est eadem ratio.

DISPUTATIO XXVIII.

DE CAUSIS SUSPENSIONIS.

Explicata essentia, et effectibus hujus censure, dicendum superest de causis ejus. Quam materiam, cum late de censuris in communi eam tractaverimus, hic brevissime expedire possumus, solum applicando ea, quæ ex generali ratione censure ipsi conveniunt, et si quid proprium et peculiare habet annotando. Concurrunt autem aliquo modo, vel secundum quamdam limitationem, ad hanc censuram omnia genera causarum; et ideo per singula breviter discurremus.

SECTIO I.

Quis possit censuram seu pœnam suspensionis ferre.

1. De potestate instituendi hanc censuram et de institutione ejus eadem ratio est, quæ de qualibet censura in communi; nam potestas a Christo manavit; institutio ab Ecclesia fuit, initium quidem habens ab Apostolis, ut ex canonibus eorum, præcipue 24 et sequentibus intelligitur; consummata vero, et ad certam formam discursu temporum redacta est, ut constat ex decretis nuper citatis, et ex dictis supra, disput. 2. His ergo omissis, de causa, quæ proxime potest ferre censuram, est regula generalis:

2. *Regula generalis.* — *Potestas hæc et ordinaria et delegata esse potest.* — Omnis et solus, ille, qui potest excommunicare, potest suspendere. Ita communiter Summistæ, verb. *Suspensio*; Antonin., tract. de Suspens.; Navarr., cap. 27, n. 159. Ratio est, quia unica, et eadem est potestas jurisdictionis, quæ ad censuras ferendas sufficiens est, et licet posset per Ecclesiam committi jurisdictio ad hunc